

opprimendus ponderibus submittit alienis: quae egit ferre non valet, et auget quod portet.

CAP. VIII. DE HIS QUI PRAEESSE CONCUPISCUNT, ET AD USUM SVAE LIBIDINIS INSTRUMENTUM APOSTOLICI SERMONIS ARRIPIUNT.

Plerumque vero qui praeesse concupiscunt, ad usum suae libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subjungit: oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse. Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quae sit irreprehensibilitas ipsa manifestat. Et favet ergo ex desiderio, et terret ex praeecepto, ac si aperte dicat: Laudo quod quaeritis, sed prius discite quid quaeratis: ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tanto foedior vestra reprehensibilitas appareat, quanto et a cunctis conspici in honoris arce festinat. Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit: ut auditores suos et descripto irreprehensibilitatis culmine restringat a superbia, et officium laudando quod quaeritur, componat ad vitam. Quamvis notandum, quod illo in tempore hoc dicitur, quo quisquis plebibus praerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quaerere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Unde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propria laetatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus ho-